Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et nos dominum deprecamur. ut uelamen de corde nostro dignetur au-
ferre. capere possimus intellegentiam spiritalem. si tamen
conuertamur ad dominum. et libertatem scientiae sequi me-
mus. Sed quomodo inuenire possumus libertatem qui
seruimus saeculo. qui seruimus pecuniae. qui seruimus
desideriis carnis. Egomet ipsum corripio. me ipsum
iudico. ego mea culpas arguo; uiderint qui audiunt
quid de semet ipsis sentiant. Ego interim dico quod donec
alicui horum deseruio. non sum conuersus ad dominum nec
consecutus sum libertatem donec talia me negotia et solli-
citudines stringunt. Illius quo constringor negotii
et sollicitudinis seruus sum. scio enim scriptum esse. quia
unusquisque a quo uincitur huic et seruus addicitur; Et ita
si amor pecuniae non superet. et ita si possessionum et di-
uitiarum cura non stringit. laudis tamen cupidus sum
et gloriam sector humanam; Si de hominum uultibus
et sermonibus pendeo quid de me ille sentiat. quomodo me ille
habeat. ne illi displiceam si illi placeam. Donec re-
quiro ista. seruus horum sum; Sed uolebam ex hoc sal-
tim satis agere si possim liber fieri. si possim iugo foedo
huius seruitutis absolui. Et peruenire ad libertatem
secundum apostoli commonitionem dicentis. In libertatem uo-
cati estis. nolite fieri serui hominum; Sed quis mihi
dabit hanc manumissionem qui me ab hac seruitute tur